

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pauli Manutii Epistolarum Libri XII

Manuzio, Paolo

Lipsiæ, Apud Johann. Herebord. Klosium, Anno 1707.

VD18 11417161

Ad Hieronymum Faletum, Herculis Ferrariensium, Princ. Apud Venetam
Rempubl. Oratorem In Ipsius Poemata. XVI. Argumentum.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198567](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198567)

rum à me voluntati satisfactum esse, vehementer gaudeo, eoqve magis, quòd adjunxi, quod fortasse non expectabant, non poscebant certè, Kalendarium Romanum, utile illud quidem dierum causâ, quorum in eo genera distinguuntur, sed utilius ob id aliquantò, quòd ad comitia, judicia, senatum, Romana deniqve omnia, qui conjecturâ, ingenioq; valebunt, multam inde scientiam derivabunt.

AD HIERONYMUM FALETUM, HERCULIS FERRARIENSIIUM

PRINC. APUD VENETAM REM PUBL.

ORATOREM IN IPSIUS

POEMATATA.

XVI.

ARGUMENTUM.

Faleti Poemata suis typis excusa edens, orditur à Poeseos dignitate & suavitare: Poetasque definit, non quicunq; versus scribunt, sed quorum in vita non minus quàm in scriptis ordo elucet. Cujusmodi cum sit Faletus, principio illum à poeseos & morum elegantia laudat. Deinde ipsi gratias agit, quòd illorum Poematum typis suis edendorum potestatem sibi fecerit. Tertiò causas exponit, cur librum Faletio inscribat, videlicet, quòd sit Principis magni orator, quòd bene de se meritis, quòd singularis amicus: quæ tria in inscriptione librorum præcipue spectari soleant. Quartò ipsum monet, ut opus de Fisco absolvat. Deniq; ipsum rogat, ut sibi in amore respondeat.

Magna laus est eorum, Hieronymi Faleti, qui non ad vulgarem humilemque artem, sed ad nobi-

Yy

nobi-

nobilem aliquam liberalemque doctrinam sua studia contulerunt: maxima verò, si quis eam philosophiæ partem, quæ Poësis appellatur, ita est complexus, itaque hæret in ea cognoscenda, ut avelli nullâ prorsus ratione possit. Itaque veteres illos, quibus optimi ac summi Dei vocem audire, ejusque sermone frui sæpè licuit, homines sapientissimos atque sanctissimos, Poëticæ facultatis admodum studiosos fuisse constat, suasque cogitationes non eò, quò quilibet uteretur, sermone, sed versibus exponere voluisse. Quorum extant nonnulla, sanè præclara: quæ cum legimus, afficimur, & quasi divinâ quadam vi abrepti, extollimus haud paulò altius, quàm quæ rerum humanarum in studio versantur. Habet igitur ars poetica dignitatem: quandoquidem in ea latent arcana philosophiæ, quæ profanis oculis non patent: ea rudes animos excolit: ea nos ab rerum humilium studio deducit ad egregios mores, ad veram religionem, ad excellentem magnarum rerum cupiditatem vocat. Habet eadem suavitatem: quia vocibus aptè constructa oratio miram infundit auribus animisque jucunditatem. Et, ut uno verbo comprehendam, poësis numerus est: numerus porrò nihil aliud quam ordo: ordinis autem principium à Deo fluxit. Divini sunt igitur homines poëtæ, nec ullo non honorum genere decorandi. Poetas autem definitio, non quicumque versus faciunt, quæ molesta & odiosa garrulitate sæpè nobis obstreperunt; sed eos, quorum in vita non minùs, quam in scriptis, elucet ordo; à quibus colitur humanitas, & beneficentia non modo lau-

dò l
tur.
fabu
celle
tellig
tia, h
ticis
Nem
quæ
frugi
tanta
ad o
sus, u
comi
bene
tate h
ptis e
ab he
decu
rissim
nesfici
Habe
nas,
post h
stinea
mo un
gnaru
pè ver
tanqu
causa
egreg

dò laudatur, verùm etiam pro facultatibus exer-
tur. Hæc enim sunt sacra illa mysteria, quæ Poësis
fabularum specie ita velat, ut ea tamen vatium ex-
cellentium, hoc est, bonorum virorum, mentes in-
telligant. Quæ verò his virtutibus adversantur vi-
tia, hæc sunt illa monstra, inimica naturæ, quæ poe-
ticis figmentis ostenduntur, sicut Erymæthius, leo
Nemeæus, hydra Lernæa, gigantes, & harpyiæ,
quæque alia traduntur, perdendis hominibus, aut
frugibus natæ. Neque verò tu, Faete doctissime,
tantam animi præstantiam possideres, non esses tam
ad omnem virtutem, ad omnem laudem propen-
sus, non tam in moribus elegans, in consuetudine
comis, atque etiam pro tuarum copiarum ratione
beneficus ac liberalis, nisi magistræ ab ineunte æ-
tate habuisses Poeticam artem, quæ te suis præce-
ptis erudit, atque informavit; nihil ut ageres, quod
ab honesto dissideret, nihil ut in omni vita, præter
decus, & antiqua majorum tuorum, hominum cla-
rissimorum, instituta, cogitares. Cujus tanti be-
neficii non est apud immemorem gratia collocata.
Habes enim poesin in delitiis: eam amas: eam or-
nas, cumque Herculis, Ferrariensium Principis
post hominum memoriam maximi, personam su-
stineas, idque tanto splendore, ac tantâ quantâ ne-
mo unquam antea dignitate; summis tamen ma-
gnarum rerum occupationibus districtus scribis sæ-
pè versus Calliope dictante, & à gravissimis curis
tanquam in amœnissimos Musarum hortos animi
causâ divertis. Superioribus quidem diebus, cum
egregium illum Athenagoræ, veteris philosophi, li-

brum de altera hominum vita Græcè scriptum, Italicum in sermonem convertisses, atque ego te, quod viatores, difficili confectò itinere, consueverunt, aliquot dierum quietem velle capere existimarem; inveni te poemata tuum de bello Sicambrico, nonnullis abhinc annis compositum, ita tractantem accuratè, ut adderes non pauca, quædam detraheres, multa corrigeres. Quæ cum legerem, admiratus elegantiam verborum, splendoremque sententiarum, hortatus sum ut ederes, & eò magis, quod reliqua tua poemata, non modò jam typis impressa, verùm etiam scripta, per manus, perque ora doctorum virorum eximia tua cum laude volitarent. Quæ in re non modò meo, verùm etiam studiosorum omnium nomine gratias tibi habeo, habeoque, dum vivam immortales, quod meis hortatibus, ac precibus tribuisti tantum, ut te mihi totum remitteres, tuorumque poematum jus omne tuum, omnemque planè potestatem ad me liberalissimè transferres. Quod cum impetrassem, exceptus sum illico eâ curâ, Principine alicui viro, quod ferè solet, an amico homini, ac familiari, an verò tibi ipsi potius ingenii tui scetus essent dicandi. Tibi quidem tua deberi videbantur: sed ab hujusmodi consilio tua mihi multis in rebus perspecta modestia deterrebat. Rursus cum intelligerem, omnes ferè libros, qui typis divulgantur, vel iis dicari solere, quorum auctoritas, aut quorum opes utilitatem aliquando aliquam ei, qui mitteret, parere posset; vel iis, quos pro magnis eorum beneficiis aliquo munere remunerari æquum esset; vel iis denique, cum quibus

mini-

mini
huma
tuaq
etfi P
men
claru
eos q
Hercu
tate d
esse v
qvo t
multa
perato
Remp
fit.
parvi
inscri
storit
criter
agam
tum v
turna
quàm
affectu
es.
debu
ut mul
bitio,
tate vi
rum u
Mitto

mon

minimè vulgaris intercederet amicitia : hæc , Falete humanissime , cum omnia concurrerent , victus sum , tuaque ad te ipsum scripta mittere constitui . Nam , etsi Princeps tu quidem fortunâ non es , summis tamen Principibus tua te virtus ita commendavit , clarumque reddidit , ut eorum opibus æqvè , ac tuis , eos quos diligis , beare possis . Sed omitto reliquos . Hercules verò , Ferrariensium Princeps , immortalitate dignissimus , cui te totum uni addixisti , cuius esse vis , quidquid in omni vita præstare potes , is quo te numero habeat , facile declaravit , cum , post multas legationes ad Sarmatarum Regem , ad Imperatorem , ad Pontificem , oratoris apud Venetam Rempubl. munus honorificentissimum tibi commisit . Quapropter , quod ad hanc partem attinet , parvi refert , utrum Principis nomine liber aliquis inscribatur , an verò ejus , cuius apud Principes auctoritas ea sit , ut prodesse , quibus velit , non mediocriter possit . De tuis autem erga me officiis quid agam pluribus ? Quæ cum & multa sint , & maxima , tum verò illud excellit , quod in hac mea satis diuturna oculorum valetudine venire domum meam quam sæpissimè , animumque meum , tristibus curis affectum , tuo aspectu , ac sermone recreare solitus es . Amicitia verò si spectanda fuit , neminem tibi debui anteferre . Conjunxit enim nos non casus , ut multos , non vulgare aliquod studium , non ambitio , non utilitas ; sed ipsa , quæ omnes res nobilitate vincit , virtus & artium liberalium societas , quarum uterque nostrum incredibili studio tenetur . Mitto igitur ad te , quando ita ratio postulat , tua

poëmata, non ut tibi, de me optimè meritò, quasi gratiam referam de tuo; sed ut habeat à me nostra ætas, atque adeò posteritas ipsa primum testimonium benevolentia, atque observantia in te mea: deinde beneficium, quòd, tua scripta cum leget, fatebitur esse maximum. Interea peto à te, ut in illo majorum vigiliarum opere de Fisco, cui nondum extremam manum imposuisti, exorari te sinas, id est, ut absolvas, atque perpolias. Magnum enim inde fructum capient omnes Jurisconsulti: cum te difficiles admodum recondita materiae nodos ingenio solventem, & quaestiones illas implicatas atque involutas explicantem intuebuntur. Neque verò tua mihi est occupatio minus nota; cum & negotia tractes Principis eximii; & ob tuam virtutem nobiles viri non modò quotidie, verum omnibus penè horis officii honorisque causâ ad te adeant. Rursus eum te esse novi, qui, quod tibi occupationes eripiunt, id ingenii præstantiâ consequaris. Consule igitur gloriae tuae: consule studiosis omnibus antiquarum novarumque legum: effice, ut, quantum in poetica facultate, quantum eloquentiâ polles, tantum in jure civili, maximeque in ea parte, quæ obscuritatis habet plurimum, valere te tua scripta significant. Meam verò hanc, quam profectò in hac epistola vides elucere, voluntatem, animique singularem ad te amandum propensionem amplectere, atque ita statue: si tu mihi, quod ut video, præclare facis, in amore respondebis, par amicorum neque nostrâ, neque veterum memoriâ conjunctius ullum fuisse. Idque quanti à me fiat, dabo

dab
ut in

AL
N

dabil
merit
penso
cum
anide

EX
d
Prin
siqv
quar
tus,
sum
um t
strati
bus i
des,
à nat
sunt
instit